

Piterz Capellano Balduini Comitis cognomento *Magnanimi*, ubi Matronæ quædam pauperibus ministrabant. Verum anno circiter 1233. Johanna Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, locum reædificavit, dotavit, ejusdemque Soror Margareta item Comitissa dotavit pro Monialibus Ord. S. Augustini, quas ex Abbacia Premiâcensi apud Cameracum, annuente Episcopo, circa 1262. evocavit. Porro anno 1554. cum hoc ipsum Monasterium munitionibus Urbis Cameracensis obesset utpote muris ipsis contiguum, ejusdem fundo in propugnaculum converso, jussu Caroli V. Moniales in Urbem receptæ sunt, quarum Ecclesiam consecravit anno 1591. 29. Sept. Franciscus Petrart Episcopus Calcedonensis. Vide etiam Gazæum in Hist. Eccles. Belgii pag. 92.

Series Abbatissarum.

- I. JULIANA.
- II. JOHANNA I.
- III. MARIA I. de Belemont. alias Bellainmont. 1308.
- IV. MARIA II. de Lesserville, seu Liffervelle. 1319.
- V. MARIA III. de Castello.
- VI. MARIA IV. de Liffervelle. alias Liffernel.
- VII. NICOLAA ab Hannonia.
- VIII. MARGARETA Semonde. 1381.
- IX. ISABELLA I. de Biadeguez.
- X. JOANNA II. du Pont.
- XI. IDA de le Porte.
- XII. ISABELLA II. de Dimont, sub qua contigit Reformatio anno 1459. & cura Xenodochii Sororibus Beguinis demandata, modo Leucophæis. Vulgo dictis *les Soeurs Grises* Ordinis S. Francisci secundum Institutum B. Elisabeth commissa.
- XIII. CATHARINA I. de Wally.
- XIV. MARIA V. Desprez.
- XV. JOHANNA III. Mondet.
- XVI. CATHARINA II. du Buiffon.
- XVII. MARTINA de la Sarte.
- XVIII. CHARLOTTA de Mally. 1591.
- XIX. BARBARA de Nebra obiit anno 1637. vigesimo sui Regiminis.
- XX. MARIA VI. du Mont S. Eloy Montibus anno 1639. 10. Julii benedicta, utramque rem Cœnobii promovit ad annum 1649. quo decessit.
- XXI. MARIA VII. de Villers Valencennensis, Montibus benedictionem percepit ipso die S. Monicæ.
- XXII. MARGARITA MONICA Gexin loci alumna, designatur Abbatissa a Rege Christianissimo mense Septembri 1694.

Supplementum

Ad Litteram O. pag. 102.

In Serie Reverendissimorum DD. Præsulum Collegiæ Ecclesiæ ad omnes Sanctos Olomutii in Moravia Numero XVIII. occurrit nomen Ambrosii Augustini Engelman, quod tamen per errorem esse factum Lectorem benevolam hic moneo: Ut error hic corrigatur, primo supplendus est annus obitus Reverendissimi Balthasaris Ernesti Koci, qui obiit die 24. Augusti anno 1666. dein Syllabus Antistitum hoc tramite pergat.

XVIII. Bernardus Joannes Cruciger ex Canonico Regulari Olomutiensi communibus votis inter suos præesse constitutus non solum benigne ac suaviter, sed magis utiliter munus Prælaturæ gessit, cujus etiam potissimum cura (licet haud sine gravissimis, quæ subreptarunt, obstaculis) intabulatus fuit, ut vocant, pagus Rakova supradictus. Cæterum obitus dignissimi Præsulis istius incidit, in diem 20. Februarii anno 1670.

C c c c 2

XIX.

XIX. Augustinus Georgius Kakasse itidem hujus loci Professor, electus die 21. Aprilis anno 1670. toto regiminis sui tempore universo Clero & populo Olomutiensi gratus admodum & venerabilis; ob singularem, qua præstitit animi prudentiam, & in agendo dexteritatem in actibus publicis & communibus Provinciæ negotiis magni semper habitus, felicissimo industriæ suæ adminiculo Canoniam omnium Sanctorum fragili vetustate ruinas minitantem totam fere diruit, & omnino novam assurgere fecit; Sacellum S. Josephi construxit, quod & ritu solemni dedicari voluit; Ecclesiam suam rarissimis picturis multifariam apparatus exornavit. Præterea quoque commune bonum pro toto posse fovere & magis accrescere iussit, sæpeditam Canoniam suam præclarissime dotavit curia seu prædio in Chalckon e potestate sæculari noviter redempto: item Castello Lafckon cum pertinentiis recens coempto; fuit insuper toto Prælaturæ suæ tempore in enodandis difficultatibus & litibus supprimendis omnino firmissimus, maxime vero in Juribus & consuetudinibus Sacri Ordinis Canonici & Monasterii sui vigilantissimus; unde ipse ratione Ecclesiæ suæ Landscronensis postliminio restituendæ, ejusdemque Juribus pro posse saltem recuperandis primum lapidem movit tam in Curia Romana, quam in Metropolitana Pragensi. Alios commune labores illius maxime circa totum Oeconomiam statum in melius reducendum, ut puta variis ædificiis noviter apparatus, Braxatorio similiter recens ædificato, prædiis item plurimis de novo suscitatis salubriter impensos, passim denuntiant publica monumenta in aperitam Monasterii utilitatem posteris relicta; Tandem Augustinus iste senio & meritis grandævus piissima morte in alteram vitam translatus die 27. Maji anno 1685. cui post & tantos labores in beata Cælorum mansione sit Pax & Requies sempiterna.

XX. Ambrosius Augustinus Engelmann SS. Theolog. Doctor ætatis suæ anno 33. Christi vero 1685. die 4. Julii de proprio gremio Canonica Electione ad Prælaturæ regimen sublimatus, adhuc in ipso virilis ætatis vigore constitutus, summa quæque temporibus suis edenda ipsa operis exhibitione pollicetur, dum scilicet ad maxima quæque patranda sese natum manifestat, piissimæ memoriæ Prædecessoris sui vestigiis firmiter insistens, & initiis suis vere auspiciatissimis ab illo cæptis coronidem imponit: item inter hæc præclara nobilissimæ dexteritatis suæ monumenta, etiam Castellum Lafckon plene convenienter excoluit, in quo, & aliis appertinentium locorum ruinis quomodolibet instaurandis impiger desudans, antiquis etiam Sacri Ordinis Canonico - Augustiniani præ eminentiis pro posse redintegrandis continuo sedulam operam impendit, maxime in causa sæpeditæ Præposituræ Landscronensis: cujus realem possessionem (quantum pro moderno temporis statu licuit) per solemnem Confirmationem novissime die 30. Decembris anno 1687. ab Eminentissimo Principe ac Domino Domino NN. Nuntio Apostolico Viennæ in Austria residente de speciali mandato seu Congregationis Cardinalium, Episcoporum, & Regularium factam & acceptam, fideliter recuperavit, proin ex nunc Præpositus Landscronensis haud amplius titularis solum, sed & realis, saltem secundum Jura Ecclesiastica nominandus.

Litteræ O. addi possunt sequentia Ordinis Canonici Collegia,
ex Schedis Authoris primum eruta.

OSLAVIENSE, seu OSLAVANUM.

A vicino, cui propius adjacet cognomine pago taliter nuncupatum, Venerabile quondam, in Marchionatu Moraviæ, Diocesis Vratislaviensis de Ordine Canonissarum Regularium S. Augustini Cœnobium; hoc tamen quod antiqua primæ Fundationis incunabula haud amplius inquirendum; utpote sub decursum Sæculi decimi sexti merissime suffocatum & extinctum.

OSNABRUGA,

Urbs Hanseatica in Westphalia, seu inferiori Saxonia circa annum 1780. auctorante Carolo Magno Romanorum Imperatore Episcopalis (qualis hodie est) facta ad instar aliarum Comprovincialium Saxonæ Cathedralium Ecclesiarum primis & antiquis suæ Fundationis temporibus Regularitatem tenuit, de quo pluribus dictum est supra V. *Magdeburgense.*

S. OSWALDI,

In confinibus Baviaræ prope Bohemiam a Joanne Landgravio de Leuchtenberg Comite in Hals, in honorem S. Martyris & Regis Angliæ hujus pro Fratibus Ordinis S. Pauli primi Eremitæ fundatum, ab his tamen paucissimo tempore inhabitatum, inde ad Canonicos Regulares S. Augustini cum omnibus Juribus & pertinentiis translatum Monasterium, primum suum Rectorem & Præpositum suscepit ex Canonica Subensis, superius recensita, Joannem Furtner, in hunc finem ab Eminentissimo D. D. Cardinale Juliano tit. S. Sabinæ, & per Germaniam Sedis Apostolicæ Legato solenniiter introductum Anno Domini 1437. Possederunt Canonici Regulares nostri hunc locum in pace ad tempora usque anni 1563. ubi mortuo Wolfigango Heigl ex Collegio S. Nicolai prope Passavium postulato ad hunc locum Præposito, a Canonicis Regularibus discissus, & Monachis S. Benedicti in Nideraltaich traditus, atque totaliter incorporatus est, a quibus & hucusque pacifice possidetur.

FINIS Tomi V. ejusque Partis I.

INDEX